

## DE BELLO CIVILI LIB. I

et cohortium alariarum legionariasque intericiunt cohortis  
vallumque ex castris ad aquam ducere incipiunt, ut intra  
munitionem et sine timore et sine stationibus aquari pos-  
sent. Id opus inter se Petreius atque Afranius partiuntur 4  
5 ipsique perficiendi operis causa longius progrediuntur.

Quorum discessu liberam nacti milites colloquiorum 74  
facultatem vulgo procedunt et quem quisque in castris  
notum aut municipem habebat conquirunt atque evocat.  
Primum agunt gratias omnes omnibus, quod sibi perterritis 2  
10 pridie pepercissent: eorum se beneficio vivere. Deinde  
imperatoris fidem quaerunt, rectene se illi sint commissuri,  
et quod non ab initio fecerint armaque quod cum hominibus  
necessariis et consanguineis contulerint queruntur. His 3  
provocati sermonibus fidem ab imperatore de Petrei atque  
15 Afrani vita petunt, ne quod in se scelus concepisse neu suos  
prodidisse videantur. Quibus confirmatis rebus se statim  
signa transluros confirmant legatosque de pace primorum  
ordinum centuriones ad Caesarem mittunt. Interim alii 4  
suos in castra invitandi causa adducunt, alii ab suis abdu-  
20 cuntur, adeo ut una castra iam facta ex binis viderentur;  
compluresque tribuni militum et centuriones ad Caesarem  
veniunt seque ei commendant. Idem hoc fit a principibus 5  
Hispaniae quos illi evocaverant et secum in castris habe-  
bant obsidum loco. Hi suos notos hospitesque quaerebant,  
25 per quem quisque eorum aditum commendationis haberet  
ad Caesarem. Afrani etiam filius adulescens de sua ac 6  
parentis sui salute cum Caesare per Sulpicium legatum  
agebat. Erant plena laetitia et gratulatione omnia eorum 7  
qui tanta pericula vitasse et eorum qui sine vulnere tantas  
30 res confecisse videbantur, magnumque fructum suae pri-